

de ratione huiusmodi remedii est, ut per illud, vel in illo, possit remitti peccatum; nam, si semper supponendum esset peccatum remissum, nullius utilitatis vel momenti esset tale remedium. Unde ulterius fit, circumcisionem vel sacramentum legis naturæ respectu adultorum non habuisse rationem sacramenti, sed solum cuiusdam professionis fidei, vel religiosæ cæremonie meritorie ex opere operantis, quia non aliter erant signa gratiæ.

20. *Responsio.* — *Secundo respondetur, circumcisionem fuisse conditionem necessariam ad remissionem peccati.* — Respondetur ad primam difficultatem, in primis D. Thomam nunquam docuisse in hac 3 parte, per circumcisionem remissa fuisse peccata actualia, sed verba ejus sunt: *Adulti, quando circumcidebantur, consequentur remissionem, non solum originalis peccati, sed etiam actualium peccatorum.* Quæ verba vera sunt; intelligenda sunt tamen, dummodo adultus, qui circumcidebatur, accederet dispositus ad remissionem peccatorum consequendam. Poterat enim hæc dispositio simul cum circumcisione concurrere; et hoc erat, ut minimum, necessarium, ac sufficiens, ut in circumcisione daretur gratia; quod vero aliquando antecederet contritio et prima gratia, est accidentarium. Unde ad primam confirmationem primo concedi posset, circumcisionem (et idem est de sacramento legis naturæ) respectu adultorum non fuisse proprie remedium peccati, sed solum signum externum remedii peccati, quod erat internum, in fide et contritione consistens. Secundo facilius magisque juxta communem loquendi modum negatur sequela; potest enim circumcisio fuisse etiam adultis remedium, ad remissionem originalis peccati obtinendam, ut conditio necessaria, sine qua ille effectus non daretur; voluit enim Deus omnes, etiam adultos, signo aliquo externo profiteri suam fidem et devotionem internam, ut remissionem originalis peccati consequi possent; et ideo sine tali signo vel in re exhibito, vel in voto concepto, non poterat remitti originale peccatum; et hoc satis est, ut dicatur remedium illius. Ex quo patet solutio ad alteram partem de sacramento; simpliciter enim negatur sequela. Primo quidem, quia circumcisio non tantum erat sacramentum propter gratiam præsentem, quæ in illa dabatur et significabatur, sed etiam propter alia mysteria, ut supra dictum est, et constat de circumcisione, quæ data

fuit Abrahæ in persona ejus. Secundo, quia ut Scotus supra dicit, ad rationem sacramenti satis est, quod significet gratiam, quæ in ipso datur, per se loquendo, id est, si non sit obex in subjecto, vel quæ subjecto inest, etiamsi prius accepta sit, præsertim si data fuit cum ordine ad tale sacramentum; atque hoc modo circumcisio data adulto significabat justitiam ejus, sive illa tunc fieret, quia subjectum nec antea se disposuerat, nec tunc ponebat obicem, sive prius esset facta et accepta per dispositionem sufficientem cum ordine ad tale sacramentum.

SECTIO II.

Utrum circumcisio, vel sacramentum legis naturæ conferret gratiam ex opere operato.

1. *Refellitur hæc sententia.* — Hæc quæstio præcipue habet locum in justificatione parvulorum; nam in adultis in nostra opinione non habet difficultatem; diximus enim illis non fuisse datam gratiam nisi contritis, vel diligentibus Deum super omnia; in parvulis vero habet difficultatem, quia dabatur eis gratia sine eorum actu, et ideo Theologi varie loquuntur. Prima ergo sententia fuit Palud. in 4, d. 1, q. 5, ar. 4, qui duplicem distinguit modum causalitatis ex opere operato: unum per causalitatem physicam; alterum per modum conditionis, ad cujus præsentiam infallibiliter confertur gratia. Dicit ergo, circumcisionem et sacramentum legis naturæ dedisse gratiam ex opere operato, diverso tamen modo; nam circumcisio physice, sicut sacramenta novæ legis, gratiam conferebat; sacramentum autem legis naturæ solum per modum conditionis requisitæ. Hæc vero opinio, quoad priorem partem de causalitate physica circumcisionis, neque ab ipso aliquo fundamento vel conjectura probatur, nec videtur probabilitatem aliquam habere, tum quia affirmat rem valde supernaturalem et miraculosam absque ullo fundamento; tum etiam quia omnes auctores, qui hoc genus causalitatis tribuunt sacramentis novæ legis, docent esse privilegium proprium illorum, ut constat ex D. Thom. hic, ad 3, et infra, q. 70, art. 4. Alii vero, qui nec sacramentis novæ legis tribuunt hoc genus efficiendi, multo magis negabunt convenire circumcisioni. Præterea congruentia D. Thom. est optima, quia sacramenta agunt in virtute Christi; et ideo non oportuit, ut prius daretur illis virtus

efficiendi gratiam, quam Christus in humanitate sua illam haberet. Argumenta etiam alia, quæ contra opinionem Scoti infra tractandam objici solent, a fortiori impugnant hanc sententiam, ut inferius videbimus, ubi alteram hujus opinionis partem tractabimus, quæ cum opinione Scoti coincidit.

2. *Durandus remedium legis naturæ non censet esse sacramentum.* — *Refellitur.* — Secunda opinio est Durandi, in 4, d. 1, quæst. 5, 7 et 8, ubi aliter distinguit inter circumcisionem et remedium legis naturæ, nam de circumcisione (inquit) contulisse gratiam ex opere operato eodem modo quo sacramenta novæ legis, scilicet ut conditionem, ad cujus præsentiam Deus operatur, et quoad hanc partem coincidit hæc opinio cum opinione Scoti infra tractanda; de remedio autem legis naturæ negat contulisse gratiam ex opere operato, quia existimat, non fuisse verum sacramentum. Unde concludit, gratiam fuisse in illo remedio datam per modum meriti et suffragii totius Ecclesiæ, quæ fidem suam parvulo applicabat, eique remissionem peccati merebatur et impetrabat. Hanc opinionem indicavit etiam Alex. Alens., 4 p., q. 5, memb. 3, et q. 7, memb. 5, art. 1, ad 2. Hæc vero opinio mihi non probatur; nam primo differentia, quam constituit inter circumcisionem et sacramentum legis naturæ, nullo fundamento nititur; nam in superioribus ostendimus, circumcisionem ex vi suæ institutionis non habuisse novam aliquam virtutem sanctificandi, quam sacramentum legis naturæ non haberet; sed solum habuisse determinationem talis cæremonie. Et hæc ratio habet etiam vim contra opinionem Palud. paulo antea impugnatam. Secundo nititur duobus falsis fundamentis: primum est, remedium legis naturæ non fuisse sacramentum, cujus oppositum supra ostendimus. Secundum est, tunc datam fuisse parvulis gratiam ex merito Ecclesiæ, quod in primis ab illo non probatur, sed deducitur ex priori falso principio, scilicet quia tunc nullum fuit sacramentum. Deinde inquiri, an loquatur de merito de condigno, vel de congruo. Primum affirmari non potest, quia mereri alteri primam gratiam de condigno est proprium Christi, neque gratia creata in persona creata potest habere hanc vim ex natura sua. Quod autem illam habuerit in hoc speciali casu ex ordinatione divina, ostendendum est aliqua revelatione, vel auctoritate, cum ex naturis rerum non colligatur, sed sit supra illas. Si

autem dicatur fuisse meritum de congruo, contra est primo, quia hoc solum non sufficit, quia per se non est infallibilis effectus hujus meriti; gratia autem in illo remedio legis naturæ infallibiliter dabatur. Quod si quis dicat, illi merito fuisse adjunctam promissionem divinam, primum oportet ut illam ostendat; deinde posita tali promissione sub conditione talis operis habentis meritum et valorem ex sanctitate Ecclesiæ, vix deerit aliquid ad meritum de condigno, quantum cadere potest in personam creatam respectu alterius. Præterea, vel Durandus intelligit proprie et in rigore, illam gratiam datam esse parvulis propter meritum Ecclesiæ, tanquam proprium præmium respondens operibus Ecclesiæ, ut propriæ causæ et veluti pretio, quo (ut ita dicam) obtinebatur a Deo illa gratia. Et hic sensus videtur nimium falsus. Primo, quia hoc neque est necessarium, neque ulla ratione constat, neque est consentaneum meritis fundatis in gratia tantum creata, nec ordinariæ legi divinæ, juxta quam nullus meretur alteri infallibiliter primam gratiam sine proprio motu illius, nisi solus Christus, cujus meritum fuit semper propria et sufficientissima causa hujus effectus, et ideo nulla ratione tribui potest merito Ecclesiæ.

3. Et confirmatur, quia alias etiam nunc posset effectus baptismi tribui Ecclesiæ hoc modo; non est enim nunc minus efficax meritum Ecclesiæ, quam in lege naturæ fuerit. Item, cur deficiente baptismo, non posset tunc Ecclesia mereri, ut parvulo daretur gratia, applicando illi, ut posset, fidem et meritum suum? Denique confirmatur, quia ut justificaretur parvulus in lege naturæ, non erat necessarium actuale meritum Ecclesiæ; fingamus enim nullum justum actu operari tunc, quando parvulus offerebatur Deo per ministerium et actionem parentis in peccato existentis; tunc enim sine dubio justificaretur parvulus, et tamen nullum esset actuale meritum in Ecclesia. Quod si dicatur, sufficere merita præterita, permanentia in divina acceptione, contra hoc est, quia sequitur illa merita fuisse sufficientia ad eundem effectum gratiæ parvulo obtinendum absque illa actione seu oblatione parentis peccatoris, quia illa actio nullum addit meritum. Quod si tandem dicatur, illam actionem fuisse necessariam, ut applicationem meriti Ecclesiæ, seu ut actualem impetrationem, contra hoc est, quia inquiri, an illa actio fuerit necessaria ex

institutione Ecclesiae, vel ex institutione divina. Si primum dicatur, sequitur primo, potuisse Ecclesiam instituere, ut illa applicatio sui meriti non fieret per aliquam specialem actionem circa parvulum factam, sed vel per orationem sacerdotis, vel per sacrificium generale publicum, vel per quamcumque actionem externam virtutis, ut v. gr. per eleemosynam, vel per aliquid simile, quod videtur absurdum et præter communem sensum omnium. Sequitur deinde, illam actionem nihil aliud fuisse, quam conditionem, ad cuius præsentiam Deus conferebat gratiam propter meritum Ecclesiae; quia ex sententia ipsius Durandi meritum Christi non aliter applicatur per actiones externas, quam ut per conditiones, quibus positus Deus confert gratiam; ergo revera interveniebat ibidem modus causalitatis ex opere operato, qui esse non poterat sine promissione divina, solumque erit differentia in fundamento illius causalitatis, quia Durand. vult, illud esse meritum Ecclesiae, cum tamen melius et rationabilius dicatur fundari in merito Christi. Atque idem argumentum fieri potest, si dicatur, illam actionem externam fuisse ex institutione divina, vel multo magis, magisque fidei consentaneum est dicere, respexisse Deum in illa institutione et promissione, ad meritum Christi, quam ad meritum Ecclesiae. Quod si sensus Durandi non fuit dicere, meritum Ecclesiae fuisse propriam rationem et causam illius gratiae, sed fuisse conditionem secundum legem ordinariam necessariam, ut convenientiori modo applicaretur meritum Christi, talis sensus est minus improbabilis; tamen ille non excludit causalitatem sacramentalem, et ex opere operato, quia ut in superioribus dicebam ex August., epist. 23, etiam nunc per charitatem totius Ecclesiae ad communionem fidelium parvuli adjunguntur, quia, scilicet, cum baptizantur, ministerio publico et quasi in nomine totius Ecclesiae offeruntur Deo, ut ipsi Ecclesiae adjungantur. Ac deinde hoc ipsum non est simpliciter necessarium ad hunc effectum, nam si per impossibile nullus esset justus in Ecclesia, et parvulo applicaretur baptismus, haberet in illo suum effectum, et idem esset in lege naturæ, si similis casus per impossibile fingatur, ut recte notavit Paludanus dicta q. 5, art. 5, concl. 1, ubi recte et facile dissolvit rationes Durandi. Neque enim potest cum fundamento dici magis fuisse tunc necessariam ad justificationem parvuli sanctitatem

actualem vel habituaalem Ecclesiae, quam nunc sit. Quia meritum Christi non erat tunc minus sufficiens, aut magis indigens consortio meriti vel sanctitatis Ecclesiae ad obtinendam gratiam parvulo, quam nunc sit, neque e contrario, meritum Ecclesiae plus valebat tunc, quam nunc valet apud Deum. Atque ex his multo magis improbata relinquitur opinio Bonaventuræ, in 4, distinct. 1, artic. 2, quæst. 1, ad 2, et Richar., artic. 5, quæst. 1 et 2, dicentium in lege naturæ non fuisse datam gratiam parvulo ex opere operato, quia solum dabatur ex merito de congruo parentis; contra hanc enim opinionem multo magis urgent omnia dicta contra Durandum.

4. *Tertia sententia.* — Tertia igitur sententia principalis est, circumcisionem, et sacramentum legis naturæ dedisse gratiam parvulis ex opere operato. Ita docet Scotus, in 4, dist. 1, quæst. 6 et 7; Gabr., quæst. 4, art. 1, et quoad circumcisionem tenuit idem Alens., Durand., et Palud., supra. Et potest hæc sententia probari primo, quia sicut Scriptura dicit de baptismo: *Nisi quis renatus fuerit, etc.*, ita de circumcisione dicit: *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, etc.* Quæ verba eundem reddunt sensum, et idem genus promissionis continent, ut Augustinus sæpe exposuit, ut supra vidimus. Propter quod idem Augustinus eodem modo loquitur ubique de circumcisione, quo de baptismo. Unde 6 contra Julian., c. 3, dicit, *per circumcisionem ablatum esse animæ vitium et peccatum originale*, et 15 de Civit. Dei, c. 16, dicit, *circumcisionem fuisse visibile regenerationis signum*, et similia multa habet 3 contra Julian., c. 18, et lib. 5 Hypogn., circa med., dicit, *circumcisionem liberasse parvulos a peccato*; et infra eandem comparat eum baptismo. Unde, l. 4 de Bapt., c. 24, dicit ex virtute, quam habuit circumcisio, conjectare nos posse, quam virtutem habeat baptismus; et infra: *Cur (inquit) præceptum est Abrahamæ, ut parvulos circumcideret, nisi quia ipsum sacramentum per se ipsum multum valet?* Quæ verba æquivalent his, quibus Theologi utuntur, sacramentum habere vim ex opere operato. Præterea, Bern., ser. 2, de Assump. vir.: *In baptis-mate (inquit) sola gratia lavat hanc maculam, scilicet originalem, quam olim rasit petra circumcisionis.* Atque idem videntur sentire Gregor., Beda, Ruper., dum aiunt, circum-cisionem esse institutam ad tollendum originale

peccatum, quorum testimonia supra retuli disp. 5, sect. 4.

5. Secundo argumentor ratione, quia nulum videtur posse excogitari medium inter modum dandi gratiam ex opere operantis et ex opere operato; sed parvulis non dabatur gratia in lege naturæ, et veteri, ex opere operantis, ut constat, quia in eis nullum erat meritum vel dispositio; ergo ex opere operato. Major patet, primo, quia illi duo modi sunt contradictorie oppositi, nam cum gratia semper data sit ratione alicujus operis, quodcumque non datur propter opus ipsius operantis, necesse est ut detur propter opus operatum. Secundo, quia posito tali opere, nullo expectato actu ipsius parvuli, dabatur ei gratia; ergo dabatur ratione talis operis operati. Denique in opinione Scoti, vel Durandi videtur necessario hoc sequi, quia ad opus operatum solum requirunt, quod opus sit vel conditio, qua posita, infallibiliter detur gratia, vel dispositio externa habens semper gratiam conjunctam ex ordinatione divina; utrumque enim ita convenit circumcisioni, sicut nostris sacramentis. Atque idem videtur sequi in quacumque opinione, quæ solum tribuit nostris sacramentis causalitatem moralem, et illam censet esse sufficientem ad opus operatum. Nam ostendimus, hanc causalitatem moralem non transcendere rationem signi, vel conditionis; ergo convenit circumcisioni; erat enim veluti sigillum divinum, aut quasi publicum instrumentum continens Dei pactum vel promissionem, quod in re exhibitum, vel quasi representatum Deo, eum movebat, et suo modo obligabat ad gratiam conferendam. Unde sumi potest nova confirmatio, quia circumcisio erat causa moralis gratiæ; ergo in suo genere absolute conferebat gratiam, quia unicuique causæ potest effectus attribui; ergo dabat illam ex opere operato, quia omnis causa operatur suo modo et vi sua, et hoc est in sacramento conferre gratiam ex opere operato.

6. Quapropter Cano, dicta relect. de Sacram. in gen., part. 5, negat, solam circumcisionem externam fuisse sufficientem conditionem, ut daretur gratia, sine fide ministri. Sed hoc in primis falsum est, ut supra ostendimus, et deinde non evacuat difficultatem, quia inde solum fit, circumcisionem externam, non se sola, sed simul cum fide ministri contulisse gratiam, ex quo non fit, ipsam non dedisse gratiam ex opere operato, sed potius potest colligi contrarium, quia ex

illa simul cum fide ministri componebatur juxta hanc sententiam una moralis causa integra gratiæ puero collatæ, sicut in nostris sacramentis, quamvis sola materia non conferat gratiam sine forma, non propterea negabimus conferre illam ex opere operato, quia simul cum forma componit unum sacramentum, quod habet hanc vim. Quod si Cano contendat, illum effectum nullo modo esse tribuendum circumcisioni, aut sacramento externo, sed soli fidei, non loquitur consequenter, quia tam necessaria conditio erat sacramentum externum, sicut fides interna, et ipsi fidei internæ non potest tribui effectus, ut causæ meritoriae aut dispositivæ, sed ut conditioni necessariæ, aut causæ morali applicanti meritum Christi; unde de ipsa fide redit eadem difficultas, quæ locum habet etiam in ea opinione, quæ negat in lege naturæ fuisse necessarium sacramentum externum, sed suffecisse fidem internam ad justificationem parvulorum. Nam de illa fide redibit eadem quæstio, an contulerit gratiam ex opere operato, quandoquidem non dabat illam ex opere operantis, et alioqui, posita illa fide, infallibiliter statim dabatur gratia.

7. *Quid alii respondeant.* — *Quid obstat.* — Quapropter alii Thomistæ confugiunt ad efficientiam physicam, asserentes eam esse necessariam, ut dicatur sacramentum conferre gratiam ex opere operato, quia nisi sacramentum physice efficiat, ipsum non conferet gratiam, licet Deus conferat ad præsentiam ejus; ergo neque ex opere operantis, neque ex opere operato illam dabit. Et quidem ratio D. Thomæ hic, in solut. ad 3, et infra, quæst. 70, art. 4, qua probat, circumcisionem non dedisse gratiam ex opere operato, solum probat, non fuisse instrumentum physicum, quia non potuit in hoc genere causalitatis conjungi Christo, antequam incarnaretur, quia causa efficiens supponit ejus existentiam. Sed contra hanc responsionem obstat primo, quia opinio illa de causalitate physica est valde incerta, et ad hominum sanctificationem non multum referens, dummodo illis detur gratia ad præsentiam sacramentorum. Unde non videtur credibile, ex ea pendere doctrinam de inefficacia sacramentorum veteris legis ad dandam gratiam; nec solum ea de causa dicta esse egena et infirma, quod illam physice non darent. Præterea, quia ut sacramentum dicatur conferre aliquid ex opere operato, sufficit causalitas moralis, ut patet de remissione totius pœnæ in bap-

tismo, et de aliis effectibus sacramentalibus supra tractatis. Sacrificium etiam habet effectum ex opere operato, quamvis non habeat causalitatem physicam, ut suo loco videbimus; ergo idem esse potuit de circumcissione, et sacramento legis naturæ.

8. *Quarta sententia.* — Quarta sententia est, illa sacramenta non dedisse gratiam ex opere operato. Hæc est opinio D. Thomæ hic, ad 3, et dicta quæst. 70, art. 4, et in 4, dist. 1, quæst. 2, art. 4 et 6, licet illic obscurius loquatur. Eandem opinionem defendit late Soto, in 4, dist. 2, quæst. 1, art. 4; Ledesm. hic, Cano, et Bellar. locis supra citatis. Quæ sententia potissimum fundari solet in generali doctrina de efficacia legis antiquæ ad dandam gratiam, quam sect. seq. confirmabimus. Sed præcipue adduci solet contra Scotum decretum Eugenii IV, in Concil. Florent. dicentis, sacramenta novæ legis multum a sacramentis antiquæ legis differre, quia nostra continent gratiam, eamque digne suscipientibus conferunt, illa vero non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant. Ad quam definitionem Scotus et alii respondent sub illa non comprehendi circumcissionem, quia hæc non fuit sacramentum antiquæ legis, sed ante legem; non enim ex Moyse fuit, sed ex Patribus, ut dicitur Joan. 7. Sed hæc responsio nullo modo probanda videtur. Primo, quia Pontifex ibi loquutus est eo sensu, quo Sancti Patres communiter loquuntur de sacramentis veteris legis; quæcumque autem Scriptura, vel Sancti generatim loquuntur de illis sacramentis, comprehendunt circumcissionem, quia erat professio illius legis, et veluti janua ad alia sacramenta, et quamvis paulo ante legem fuerit instituta, fuit tamen quædam illius inchoatio, et quasi præparatio ad illam, unde cum illa duravit, et cum illa etiam cessavit. Quare quod ait Paulus ad Hebr. 7: *Reprobatio fit præcedentis mandati*, non minus de circumcissione, quam de cæteris mandatis intelligitur; ergo ratio etiam quam subdit, scilicet: *Propter infirmitatem ejus et inutilitatem, nihil enim ad perfectum adduxit lex*, etiam circumcissionem comprehendit; ergo quæcumque sacramenta dicuntur infirma et inutilia, sub eis intelligitur circumcissio; nam de illa etiam verum est, quod ad Hebr. 10, dicit Paulus: *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, nunquam accedentes perfectos facere potest.* Quin potius Paulus in ep. ad Rom. et

ad Gal., in quibus de inefficacia veteris legis ad justificandum et de cessatione legalium potissime disputat, præcipue sermonem habet de circumcissione. Imo quodammodo ad eam, totam disputationem revocat, quoniam illa erat veluti fundamentum totius legis, unde de illa concludit ad Gal. 5: *State et nolite iterum jugo servitutis contineri, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Sub jugo ergo servitutis circumcissionem comprehendit. Atque idem est de cæteris locutionibus similibus. Cum ergo Eugenius nihil aliud in illo Decreto tradat, quam quod ex doctrina Pauli colligitur, consequens est, ipsum in generali illa doctrina circumcissionem comprehendere. Et confirmatur, quia alias nec sufficientem doctrinam, nec satis universalem differentiam sacramentorum tradidisset, sicut, quando Concil. Trident., sess. 7, can. 2, definit in hæc verba: *Si quis dixerit, ea ipsa novæ legis sacramenta a sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, et alii ritus externi, anathema sit*, sub hac definitione sine dubio comprehendit circumcissionem, quia intendit universalem ac sufficientem doctrinam tradere; comprehenditur ergo circumcissio sub sacramentis antiquæ legis.

9. *Propria differentie causa, inter nostra sacramenta et antiqua.* — Alii ergo respondent, esse differentiam inter baptismum et circumcissionem, quod baptismus dat gratiam, et aperit januam regni cælorum; circumcissio vero, licet gratiam daret, non tamen sufficientem ad introducendum in regnum cælorum. Sed hæc differentia, licet in vero sensu vera sit, eam enim tradit Innoc., in c. Majores, de Baptismo, et significata creditur Lucæ 3, quando, baptizato Christo, apertum est cælum, ut indicaretur, nobis esse per baptismum aperiendum; nihilominus parum refert ad rem præsentem explicandam, aut verificandam doctrinam Concilii Florentini. Primo quidem, quia illa differentia non tantum oritur ex causalitate sacramentorum, aut ex gratia ab eis collata, quam ex extrinseca causa, quia in uno tempore nondum erat satisfactum pro reatu totius humanæ naturæ; in alio vero jam est satisfactio oblata. Unde baptismus solum dicitur aperire januam regni, quia applicat fructum passionis Christi jam exhibitæ, per quam passionem aperta est janua regni; per circumcissionem vero applicabatur fructus ejusdem passionis non exhibitæ, sed exhibendæ; est ergo illa differentia

in tempore, et in extrinseca causa principali, non vero in proprio effectu gratiæ, et modo conferendi illum; cujus signum est, quia etiam baptismus Christi, prout institutus et applicatus fuit ante passionem ejus, non aperiebat januam regni, et e contrario, circumcissio, vel sacramentum legis naturæ, eo tempore, quo potuit esse utile post passionem Christi, etiam aperiebat januam regni; hæc ergo differentia non satis est ad explicandam et verificandam Eugenii doctrinam, si vera circumcissio fuit propria causa gratiæ. Sicut etiam vera est differentia inter baptismum et circumcissionem, quod per baptismum copiosior gratia datur, quam per circumcissionem, ut omnes Sancti et theologi docent, propter perfectionem legis gratiæ. Tertia item differentia vera est, quod baptismus remittit omnem culpam et pœnam; in circumcissione vero non remittebatur tota pœna, ut D. Thomas supra docet, quia non erat regeneratio, sicut baptismus. Tamen hæc differentie non sufficiunt ad doctrinam Concilii explicandam, quia in eo non dicitur, sacramenta vetera minorem gratiam contulisse, sed omnino nullam; cui contrarium est, dicere, contulisse minorem gratiam, quia minor gratia, aliqua gratia est.

10. *Qui possit explicari Eugenii locus.* — Potest vero aliter hic locus explicari ex doctrina supra tradita, disputatione quinta, nimirum, circumcissionem posse dupliciter considerari. Primo, ut sacramentum legis veteris, et hoc modo simpliciter verum esse, non magis habuisse virtutem ad conferendam gratiam, quam alia vetera sacramenta. Secundo, ut habebat convenientiam cum sacramento legis naturæ, et idem munus ac officium obtinebat simul cum propria institutione; et hoc modo habuisse eandem virtutem conferendi gratiam, quam habuit sacramentum legis naturæ, atque hoc sensu explicata prior responsio Scoti non videtur improbabilis. Nam Concilium non negat virtutem conferendi gratiam omnibus sacramentis, quæ fuerunt ante incarnationem Christi, sed solum sacramentis veteris legis; ergo hæc definitio non obstat, quominus sacramentum legis naturæ hanc virtutem habuerit, et consequenter etiam circumcissio, ut eam rationem participavit. Et potest hæc interpretatio suaderi, quia ex illa generali doctrina Concilii, quam ex Paulo supra deduximus, non solum colligitur, sacramenta vetera non dedisse gratiam, sed etiam in eis datam non fuisse, ut sequenti sectione

ostendemus; ergo necesse est aliquo modo excipi circumcissionem ab illa generali doctrina; diximus enim supra, in ea datam fuisse gratiam; ergo saltem excipienda est quatenus habebat vim sacramenti legis naturæ; ergo etiam si dicamus sub hac ratione dedisse gratiam ex opere operato, non erit contra definitionem Concilii.

11. *Quare non sit admittenda hæc explicatio.* — Sed hæc etiam evasio, quamvis apparentior sit, non videtur probanda. Primo, quia licet Concilium loquatur de sacramentis veteris legis, tamen sub illis a fortiori comprehendisse videtur sacramenta legis naturæ. Primo quidem, quia in ea differentia intendit docere propriam excellentiam sacramentorum novæ legis supra omnia antiqua sacramenta; ergo non tantum illa præfert sacramentis veteribus, sed multo magis antiquioribus sacramentis. Secundo, quia ex parte ipsarum legum, scilicet veteris et naturæ, hoc ipsum a fortiori colligitur, quia status legis naturæ secundum id, quod erat proprium ejus, imperfectior fuit, quam status legis scriptæ, quia Deus paulatim processit perducendo homines ab imperfecto ad perfectum; ergo si sacramenta vetera non habebant vim justificandi, multo magis nec sacramenta legis naturæ. Alioqui posset quis dicere fuisse in lege naturæ multa sacramenta justificantia; quod sane esset contra sanam doctrinam. Unde quod Paulus ubique negat legem justificasse, quia si ex lege esset justitia, gratis Christus mortuus esset, non solum habet verum in lege scripta, sed etiam in lege naturæ, quia etiam gratis Christus mortuus esset, si lex illa vi sua posset justificare; et ideo, si in utraque illarum legum aliqua gratia data fuit, semper fuit data intuitu Christi venturi, et ex fide et promissione ejus, ut Paulus dicit; ergo sicut in hoc est eadem ratio utriusque legis, ita et in inefficacia sacramentorum earundem legum ad justificandum. Unde argumentor tertio ex radice hujus differentie: ideo enim sacramenta veteris legis, et circumcissio, quatenus fuit unum ex illis, non potuerunt conferre gratiam ex opere operato, quia nondum erat pretium nostræ redemptionis exhibitum, a quo omnia sacramenta habent virtutem; sed hæc ratio pari modo habet locum in sacramentis legis naturæ. Ergo.

12. *Quare nostra sacramenta dicantur gratiam continere, antiqua vero non item.* — Quocirca, quamvis suppositis his, quæ in supe-